



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

206. Item de incestis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Si quis cum filia materteræ suæ &c.  
concubuerit. *Ex eodem.*

Burchard. lib.  
17. c. 20.

CCV. Item interrogatum fuit, si quis cum filia materteræ suæ vel avunculi, amita vel patruï, concubuerit, si conjugatus fuerit, liceatne illi ulterius uti conjugio, aut non conjugato uxorem accipere. Iustum esset, si aliqua priorum statuta habeantur, ut in perpetuum à conjugio tales abstineant. Sed visum est, humanæ fragilitatis intuitu, ut post pœnitentiam non quidem penitus priventur conjugio, durissimè tamen tam immanis fornicatio vindicetur, sicut sanctus Papa Nicolaus & alij Romani Pontifices statuerunt, ne fortè desperata conscientia multipliciter peccent.

Item de incestis. *Ex eodem.*

Burchard. lib.  
18. c. 4.  
Pœnitent.  
Rom. Ant.  
Augustini tit.  
3. c. 5.

CCVI. In lectum mariti, absente uxore foror ivit uxoris; quam ille uxorem suam putans, dormivit cum ea. Super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit quod inscius fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem quæ sibi indicata fuerit agat, & legitimum suum conjugium habere permittatur; illam digna vindicta affligi, & in æternum conjugio privari. [ *In editione Helmastadiensi legitur veram non probaverit. omnino contra mentem canonis. Nos, quia destituebamur opusculi manuscripti codicis, qui imperfectus est in hoc loco, veram lectionem accepimus ex Burchardo & ex Pœnitentiali Romano quod editum est ab Antonio Augustino.* ]